

nullatenus suffragatur Agnellus, qui tradit Apollinarem cum Petro Apostolo Romam venisse, & post plurimum tempus ordinatum Episcopum, & Ravennam missum. Petrus Romam venerit anno Aera vulgaris XLIII., si Apollinaris obierit anno LXXII., missus fuerit necesse est anno secundo Pontificatus Petri. Id autem non consentit Agnello, qui post plurimum tempus à Petri adventu Romam missum dicit. Diuturniorem certe Apollinaris sedem illud innuit, quòd pro nimia dierum plenitudine curvus incederet martyrio proximus. Cum autem ex fevioribus Tabulis Vespasianum sciamus mortuum anno Christi vulgaris LXXIX., martyrium Apollinaris ultra illum annum differre, nefas, uti facit Rubeus, putoque relictus statui D. Apollinaris obitum circa annum mortis Vespasiani, qui tamen cum defunctus fuerit ex Suetonio VIII. Kal. Julii, mors Apollinaris non potuit accidisse nisi anno præcedenti. Qua Chronologia ratione admissa, initium Pontificatus Apollinaris retrocedendo affigetur, servata die, qua natale ejusdem in omnibus, & antiquissimis Martyrologiis signatur XXIII. Julii, anno vulgaris Aera L., diei verò XIX. Junii. Cum autem semel Martyrologiorum inciderit mentio, juvat hic demum pro dictorum coronide ea asserre, quæ de S. Apollinari habet vetustissimum Bedæ adscriptum, allatum à C. V. Daniele Papebrochio priori mensis Martii Tomo præfixum, simul cum adjectionibus successivè à diversis factis ex celeberrimarum Bibliothecarum latebris erutis, ex quo apparebit, quantum antiqua monumenta conveniant cum Agnelli simplicitate, & cum ex omnibus constet, sub Vespasiano Apollinarem martyrio coronatum, summa tamen diversitate pugnare vetera hujusmodi documenta in assignandis sedis ejus annis. Martyrologium itaque

A laudatum hæc habet ad X. Kal. Augusti. Natale S. Apollinaris Episcopi in Ravenna, qui Romæ ordinatus est ab Apostolo Petro, & illuc missus est, qui etiam in Emilia prædicavit, & in partibus (1) Corinthorum, & in Mytia, & in ripa Danubii, & in partibus (2) Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus est. Et ubicumque potuit innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit, nam nimia cum cæde mactatus est, & rursus diutius sultibus super prunas impositus, & equleo appensus, tentus est, & saxo os ejus contusum est, & cum gravissimo ferri pondere inclusus carcere horribili, atque in ligno extensus est (ubi hominibus quidem neglectus, sed ab Angelo publicè pascus est) deinde cætenatus, & in exilium directus est (in quo rursus diutius sultibus cæsus, & rursus in Ravenna ligatus, à Paganis cæsus, & vulneratus, & rursus in carcerem missus, & cæsus) sic martyrium consummavit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene Patriitio. Rexit Ecclesiam annis viginti, diebus octo. Ita D. M. S., ast Barbarinianum, S. Cyriaci, Atrebatense, & Tornacense annis viginti octo, & dies quatuor, Vaticanum annis triginta & octo, Letiense, annis decem & octo, & diebus quatuor. In allata annorum mensura diversè à diversis Codicibus enunciata, vides tamen à pluribus Agnelli assertum confirmari, quare sicut Vaticanum Exscriptor facile potuit pro viginti triginta expressisse, ita D. M. S., & Letiense vix debent attendi, cum cætera repugnent, & Agnellus potuerit certioribus niti documentis, quàm qui Ravennâ distiti martyrologia scripsere. Præterea ex Letiensi facile potuit nota X. excidisse.

(1) D. Thorbithorum, fortè Carinbithorum. Bach.

(2) T. L. Thracia, Tornac, Letiense. Bach.